

scandali, aut contemptus. Hinc ex communi sententia peccaret mortaliter, qui ex industria non misceret aquam vino: similiter, si Sacerdos latinus uteretur fermentato sine gravi necessitate, aut uteretur forma Græcorum in Baptismo: item, si Minister ex officio, seu solemniter baptizaret sine Catechismis, & Exorcismis; vel sine lumine aut vestibus sacris consecraret. Venialiter autem tantum peccaret, qui in administratione Sacramenti Pœnitentiæ precos *miscratur*, & alias omitteret.

Dico 3. Peccat mortaliter, qui in administratione Sacramentorum utitur materia, aut forma dubia, & incerta, ubi certa haberi potest. In casu verò necessitatis, ubi certa præstò non est, potest, & debet uti materia, seu forma dubia, saltem sub intentione conditionata Ratio 1. partis est; quia tunc sine causa & necessitate exponitur Sacramentum periculo nullitatis, & irrisioni: nec enim tua probabilis, aut probabilior sententia efficiere potest, ut materia aut forma sit valida, si revera non sit ea a Christo determinata: ergo, Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilis de valore Sacramenti, relicta tutiori, nisi id veteris lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabilis utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Est t. inter Innocentianus.

Dices: Licetum est uti sententia saltem probabiliori in aliis materiis: ergo etiam cum agitur de Sacramentorum valore. R. N. Cons. Disparitas est: quod in aliis materiis, dum aliqua sententia est probabilior, non est tantum probabilior speculative, & in se, sed est etiam probabilior practice, seu est probabilius illam posse teneri; quia si forte sit falsa, excusatur coram Deo, qui eam tenuit, quòd secutus fuerit id, quod verosimilis erat verum, & fecerit quod in se est, ut attingeret veritatem, si que agendo nulla rei sacræ irreverentia periclitatur. At verò, licet, dum de Sacramenti valore agitur, aliqua sententia de materia, vel forma sit probabilior speculative, & secundum se, practice tamen non est probabilior, seu non est probabilius illam posse teneri, quando oppositum est tutius; quia major probabilitas non efficit, ut materia aut forma sit valida, si revera ita non sit; adeoque non extrahitur Sacramentum a periculo nullitatis, & irreverentia. Cæterum, si sententia aliqua de materia aut forma Sacramenti ita esset probabilior, ut foret moraliter certa, & communiter haberetur vera, & opposita licet tutior vix haberet aliquid probabilitatis, sive ab intrinseco sive ab intrinseco, multis videtur non condemnandus, qui priorem sequeretur: tunc enim censetur materia, aut forma certa, & aliis continua foret perplexitas, & impossibili Sacramentorum præxiis; cum nulla sit sententia, cujus opposita aliquid probabilitatis sive ab intrinseco, sive ab extrinseco habere non possit.

Ratio 2. partis est: quia, cum Sacramenta sint propter homines instituta, minus malum est, ut Sacramenta periculo nullitatis exponantur, quam ut homo illis absolute privetur; proficere quidem poterunt, nocere non poterunt; de duobus autem malis minus est eligendum: & irreverentia, quæ alias subesset, abstergitur ratione necessitatis, & intentionis conditionatæ: ergo.

## APPENDIX I.

## De repetitione materiae, seu formæ Sacramentalis.

Dico 1. Qui certus est de invaliditate Sacramenti defectu sive materiae sive formæ, debet adhibita materia, vel forma valida ipsum absolute repetere: sicut è contrà, qui certus de validitate Sacramenti ipsum repetit etiam sub conditione, sacrilegium committit; cum ista repetitio sit profanatio, & irrisio Sacramenti, adeoque grave sacrilegium.

Dico 2. Qui rationaliter dubitat de valore Sacramenti, debet ipsum repetere sub conditione: ita ex Jure cap. De quibus dubium. Ratio repetitionis; quia minus periculum est facere repetitionem, ubi non esset faciendi, quam omittere, ubi esset faciendi: in 1. enim casu est tantum periculum irreverentiæ Sacramenti, in 2. autem præter periculum irreverentiæ Sacramenti, quod remanebit nullum aut dubium, est etiam periculum damni proximi. Ratio conditionis est, ut viter in quantum potest repetitio formalis Sacramenti, si forte fuerit validum, & eius reverentia salvetur.

Dico 3. Qui sine rationabili fundamento, sed ex levi dubio aut scrupulo temerè repetit Sacramentum, aut formam super eandem materiam ceteris sub conditione, grave peccatum sacrilegii committit. Ita communiter. Ratio est: quia iteratio Sacramentorum permittitur sub conditione a sacris Canonibus solum in rationabili dubio; sed quando non est dubium rationale, appositæ conditioni habetur pro non appositæ; deficiente enim ratione probabiliter dubitandi vix potest dici serio, & prudenter, si non es baptizatus, v. gr. ego te baptizo; si non consecrasti, ubi consecrare: sed potius videtur dici, sicut si baptizatus, sive non; sive consecraverim, sive non, &c. Ego te baptizo, consecro, &c. adeoque sub disjunctione intenditur nullitas Sacramenti: & ideo iteratio temeraria Sacramenti facta ex inani dubio est quædam ipsius irrisio: ergo. Hinc caveat illi, qui ex quovis levi scrupulo statim repetunt formam Sacramentorum, idque in consuetudinem ducunt. Dixi tamen, qui temerè repetit: si enim ut a molesto scrupulo se expediat, & ne Deum offendant, repeteret, non consuetudinarie ob rationem datam, sed subinde, formam super eandem materiam, non statim videretur condemnandus, saltem peccati mortali; non enim est credibile, quòd graviter Deum offendant per actionem, quam ideo ponit, ne ipsam offendant.

## APPENDIX II.

## De forma condicionali.

Forma condicionalis dicitur, quæ profertur sub conditione, ut, Si non es baptizatus, te baptizo, cum forma absoluta, contra quam distinguitur, sine conditione profertur, ut ego te baptizo. Formæ conditionalis 7. vel 8. primis Ecclesiæ sacculis nullum fuisse usum, probant Iruditi ex hoc, quòd in variis dubiis de valore Baptismatis SS. Patres, Concilia, & Summi Pontifices jussurint illud iterari, nulla conditionis facta mentione; quam non omisissent, si fuisset ex usu adhibenda. Patet ex S. Cypriano Ep. 76. ex Conc. 2. Arelat. ann. 314. Can. 8. ex Conc. Carthag. 5. ann. 398. Can. 6. refertur Dist. 4. cap. Placuit. Ex duabus Ep. S. Leonis, una ad Leonem Ravennatensem, altera ad Rusticum Narbonensem: referuntur eadem dist. cap. Cum itaque; & cap. Si multa. Ex Gregor. Magn. Ep. 32. libr. 11. Hæc erat eorum ratio: Quia, ut dicit S. Leo Ep. 37. non potest iteratio iterari, nisi fuerit, quod factum esse omnino nescitur. Vel ut dicit Greg. Magn. Epist. 32. Non monstratur iteratum, quod non certis indicis ostenditur ritè peractum.

Prima itaque formæ conditionalis mentio reperitur in Capitularibus Caroli Magni libr. 6. num. 181. editis ann. 807. his verbis: De quibus dubium est, utrum sint baptizati, an non; omnimodis absque ullo scrupulo baptizentur, his tantum verbis: Non te rebaptizo; sed si non baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, &c. Deinde Alexander III. qui sedebat ann. 1159. sic decrevit: De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c. Refertur in Jure extr. de Baptismo cap. 2.

Non tamè ubique obtinuit forma condicionalis, nisi cum Decretum Alexandri III. fuit in corpus Juris relatum a Gregor. IX. qui sedebat anno 1227. tempore enim Alexandri III. & post ipsum quidam Scholastici, quibus non innotescerat eius Decretum, adhuc contrarium docebant, ut M. gister Sentent. libr. 4. dist. 6. Petrus Cantor, & alii. A tempore autem Gregorii IX. in omnibus Latinorum Ecclesiis invaluit usus formæ conditionalis. Et 1. usurpata est pro Sacramentis, quæ iterari non possunt propter characterem, quem imprimunt. Deinde tracta est ad alia etiam Sacramenta, præsertim Pœnitentiæ, quando nempe Confessarius dubitat, an formam protulerit; & quando Fidelis moribundus subito privatur usu sensuum, nec potest ab eo haberi materia certa. De quo fusius suo loco. Igitur ex usu Ecclesiæ ubique recepto, merito usurpatur forma condicionalis propter rationes datas in 2. Conclusionem præcedentis Appendixis. Prudentè tamen est adhibenda, nec nisi post accuratum examen, an Sacramentum sit verè dubium, præsertim in Sacramentis, quæ ex natura iterari non possunt, in aliis enim tanta cautela non est adhibenda, ut advertit Dom. Soto.

## DISSERTATIO II.

## DE NECESSITATE, ET EXISTENTIA SACRAMENTORUM.

Div. Thom. Quæst. 61.

## ARTICULUS I.

Utrum Sacramenta sint necessaria ad salutem humanam?

**N**Ota. Sensus tituli posset esse duplex. Primus, utrum necesse sit ad salutem, ut Sacramenta post eorum institutionem? De quo infra quæst. 65. art. 4. Secundus, utrum necesse sit ad salutem, institui a Deo Sacramenta? Et de illo nunc agitur. Necessarium autem hic non sumitur pro necessitate absoluta, nec secundum Dei potentiam absolutam; sed pro congruentia, & secundum connaturalem, & suam gubernationem. Certum est enim, Deum potuisse absolute aliis mediis hominem salvare. Item questio est de homine post lapsum, abstrahendo ab hoc vel illo statu, ante, vel post Christum.

Dico 1. (Hic quæst. 61. art. 1. o.) Sacramenta sunt necessaria, necessitate scilicet congruentiæ, ad humanam salutem. Prob. (Ibid. in arg. 1. c.) ex Aug. libr. 29. contra Faustum cap. 11. ubi dicit: In nullo nomen Religionis, seu verum, seu falsum, coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, seu Sacramentorum visibilium consortio colligentur; atque necessarium est ad humanam salutem homines adunari in unum vere Religionis nomen: ergo Sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem.

Adverte, in hac auctoritate Aug. has voces Signaculorum, vel Sacramentorum non sumi disjunctive, sed ut duo synonyma: alias esset defectuosa D. Thom. consequentia. Nec etiam ly coadunari sumitur præcisè pro communicare, seu convenire in aliqua Religione, sed pro eo quod est initiari, seu suscipere, ac profiteri Religionem, ejusque sanctitatem consequi. Alias argumentum probret, etiam fuisse Sacramenta in statu innocentie (quod negat S. D. art. seq.) siquidem in eo fuerit, & fuisset communicatio in vera Religione, non tamen susceptio Religionis, nec sanctitatis ejus consecutio, sed immediate a Deo per traductionem nature habebatur.

Prob. triplici ratione, seu congruentia, (Ibid. o.) Prima petitur ex conditione humanæ nature; & sic proponitur: Pertinet ad divinam providentiam, ut unicuique rei provideat secundum modum sue conditionis; atque proprium est homini, ut per corporalia, & sensibilia in spiritualia, & intelligibilia deducatur: ergo convenienter divina Sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus, & sensibilibus, quæ Sacramenta dicuntur. Secunda petitur ex statu hominis lapsi. Ibi debet medicinale remedium homini adhiberi, ut patitur morbum; atque homo peccando se subdidit per affectum corporalis rebus: ergo convenienter fuit, ut Deus per quædam corporalia signa homini spiritualem medicinam adhiberet. Prob. Cons. Si spiritualia nuda ei proponerentur, ejus animus corporalibus delectus pro peccatum applicari non posset: ergo convenienter, &c. Tertia ratio sumitur ex studio actionis humanæ: Actio humana præcipue circa corporalia versatur: ergo ne esset homini durum, si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, convenienter proposita sunt ei corporalia, exercitia in Sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad evitando superstitionis exercitia, quæ consistunt in cultu daemonum, vel qualibetque noxia, quæ consistunt in actibus peccatorum. Sic igitur (Ibid. 1.) per Sacramentorum institutionem homo convenienter sue nature eruditur per sensibilia; humiliatur, se corporalibus subjectum cognoscens, dum non per corporalia subvenitur. Preservatur etiam a noxiis actionibus per salubria exercitia Sacramentorum.

Ubi vides, S. D. conclusionem procedere, & de homine secundum se, seu secundum conditiones sue nature sibi relicte (supposito tamen quod ordinatur ad finem supernaturalem) ut patet ex prima, & tertia ratione; & de homine secundum statum peccati generaliter, ut patet ex secunda ratione. Et quando infra art. 3. & 4. adhuc querit de homine secundum statum peccati non querit de statu peccati generaliter, ut hic facit, sed determinatè pro aliquo statu peccati, puta ante Christum in 3. Art. & post Christum in 4. Nusquam autem procedit Conclusio præsens de homine secundum statum gratuitum, & quodammodo præternaturalem innocentie originis, de quo Art. seq. in eo enim homo quodammodo extrahitur extra conditiones sue nature.

Dices: Gratia, & Passio Christi sunt sufficientes ad salutem humanam: ergo superfluum Sacramenta. R. (Ibid. ad 2.

& 3.) Quòd gratia, & Passio Christi sunt sufficientes in genere suo, seu quoad vim sanctificandi, & salvandi debent tamen homini applicari; applicantur autem ipsi convenienter per Sacramenta, ut probatum est.

## ARTICULUS II.

Utrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria Sacramenta?

**N**Ullum in statu innocentie de facto existisse Sacramentum, communis est Theologorum sententia; tum quia de illorum institutione in hoc statu tam in Scriptura, quam in Traditione alium est silentium; tum quia ille status brevissimo tempore duravit, ideoque fuissent inutilia. Sed difficultas est, utrum vi status nullum in eo fuerit Sacramentum, seu utrum institutio Sacramentorum habeat aliquam oppositionem, seu repugnantiam cum statu innocentie; non quidem secundum potentiam Dei absolutam. Quis enim neget, Deum absolute potuisse in quovis statu instituire Sacramenta? Sed secundum suam, & connaturalem providentiam? Affirmat S. Thomas, & cum eo Thomistæ; negant plures alii, quorum aliqui ideo volunt, quòd, si status innocentie diu durasset, revera fuissent instituta in eo Sacramenta.

Dico: (Ibid. art. 2. o.) Ante peccatum vi status innocentie nec necessarium, nec conveniens fuit, institui Sacramenta. Ante probationem nota, rectitudinem, & ordinem status innocentie in eo consistere, quòd mens perfectè Deo subesset, menti inferiores animæ vires, & ipsi animæ corpus; & in hac subjectione mentis ad Deum consistit nostra sanctificatio, seu animæ perfectio per gratiam, & scientiam, seu notitiam sanctificationis necessaria: tanta autem erat Dei superioris dominatio, & causæ inferioris ad Deum subjectione in isto statu, ut vi, & exigentia hujus status superioris nullo modo dependeret ab inferioribus in ea dominatione exercenda, sed per seipsum sine mediis instrumentis extrinsecis sufficienter moveret inferius, ac dirigeret in his, in quibus pro illo statu inferior per se superior debebat subijci, & ab eo perici (hoc est, in perfectione animæ per gratiam, & scientiam, ut dictum est) alias enim status innocentie non foret perfectus, si in illo non esset talis perfecta subordinatione, & subjectio mentis ad Deum, & potius inferioris ad superiorem, ne dum quidem in ratione entis (sic enim semper subijcitur) sed etiam in ratione supernaturali, & morali sanctificationis, & in rectitudine virtutis. Nota insuper, dum loquimur cum D. Thom. de perfectione animæ per gratiam, & scientiam, nos non intelligere qualemcumque scientiam naturalium, nec etiam omnium supernaturalium, sed eam tantum, quæ gratiam comitatur in ordine ad sanctificationem, & quæ correspondet fidei sive habituali, sive actuali, quæ cum gratia confertur nunc per Sacramenta; in nullo enim statu potest homo justificari sine aliqua, vel cognitione fidei, vel scientia supernaturalium. Nota tandem, Sacramenta esse quædam instrumenta corporea, quæ nos manducant ad res supernaturalium, scilicet ad gratiam sanctificationis, & huic annexam supernaturalium cognitionem. Hic est enim unus Sacramentorum scopus, & finis. His notatis

Prob. Conclusio. (Ibid. o.) Ea erat rectitudo status innocentie, ut in eo superiora dominarentur inferioribus, & nullo modo dependerent ab eis, in his scilicet, in quibus sita erat, seu exercebatur hæc dominatio, & subjectio; & quæ ad eam pertinebant; sicut enim mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores animæ vires, & ipsi animæ corpus. Unde huic ordini, ac rectitudini incongruum foret, si anima perficeretur quantum ad scientiam, & quantum ad gratiam per aliquid corporeale; hæc enim animæ perfectio pertinet ad hanc rectitudinem, & per eam habebatur; atque, si in eo fuissent Sacramenta, homo accepisset suam perfectionem quantum ad gratiam, & scientiam per aliqua corporalia, & sensibilia: Sacramentum enim est aliquid corporeale, & sensibile, ad sanctificandos homines, & ad eos instruendos de rebus supernaturalibus, ordinatum: ergo in statu innocentie homo Sacramentis non indigebat, non solum in quantum Sacramenta ordinantur ad remedium peccati, sed etiam in quantum ordinantur ad animæ perfectionem. Conf. Cessante hinc primario Sacramentorum, cessare debent, & Sa-

ramenta; atqui in statu innocentie cessaret finis primarius Sacramentorum; ergo. Prob. Min. Finis primarius Sacramentorum est sanctificatio uertitum, & cultorum Dei; atqui talis finis tunc cessaret: ergo. Prob. Minor: in illo statu homines nascerentur sancti, & sanctitas esset donum naturæ, & non personæ: ergo.

*Soluantur objectiones.*

**Obj. 1.** Sacramenta sunt necessaria homini secundum conditionem humanæ naturæ, sicut dictum est Art. præced. atqui eadem est natura hominis antè, & post peccatum: ergo etiam ante peccatum homo indigebat Sacramento. R. D. Maj. (*Ibid.* ad 2.) Sacramenta sunt necessaria homini secundum conditionem naturæ, vel puræ, & sibi relictæ, vel peccato subiectæ. C. Maj. ad statum innocentie elevatæ. N. Maj. Et ad hunc sensum, D. Min. atqui eadem est natura hominis antè, & post peccatum, & idem naturæ status, N. Min. & diversus naturæ status, C. Min. Quia ergo in illo statu per subiectionem perfectam Deo, homo a Deo immediatè sanctificabatur, inconueniens fuisse illi statui, ut hæc sanctificatio acquireretur per inferiora instrumenta; hoc enim argueret imperfectam subiectionem ex parte animæ, & imperfectam dominationem ex parte Dei in animam: supernaturalium enim instructio per se petit descendere a superiori, & non fieri per sensibilia tamquam per instrumenta manuducta, nisi ratione infirmitatis naturæ, quæ perfectè Deo non subditur.

**Inst. 1.** In eo statu elevationis homo semper componeretur ex corpore, & anima; atqui ex hoc provenit, quod connaturale sit homini, ut spiritalia cognoscat per sensibilia, ergo Sacramenta sunt homini necessaria, etiam secundum conditionem naturæ elevatæ. R. D. Min. atqui ex hoc provenit, quod connaturale sit homini, ut spiritalia naturalia cognoscat per sensibilia, C. Min. spiritalia supernaturalia, N. Min. & Cons. Explicatur: Res spirituales quoad sui cognitionem sunt in duplici differentia. Aliæ enim sunt, quæ naturali lumine cognosci possunt, ut est existentia Dei, natura Angelica, &c. Aliæ, quæ solum lumine supernaturali possunt cognosci, ut sunt gratia, habitus infusi, Trinitas, & omnia mysteria nostræ Religionis. Equisdem modus connaturalis cognoscendi res primi generis est per sensibilia in homine; quia eorum cognitio per se oritur a sensu, & inde ascendit ad cor hominis: modus autem connaturalis cognoscendi res spirituales secundi generis non est per sensibilia ut per media in homine; quia eorum cognitio non oritur per se sensibus, sed ex superiori revelatione fidei descendit. Quare signa, seu media sensibilia solum per accidens possunt homini necessaria esse ad eorum notitiam, quando scilicet homo aliquam repugnantiam patitur ex parte sensitiva in tali cognitione, sicut patitur modò in statu naturæ corruptæ, aut patetur in statu naturæ sibi relictæ; secus autem in statu innocentie, in quo inferiora perfectè subiciebantur superioribus.

**Inst. 2.** Connaturale est homini in hoc statu innocentie, ut cognoscat spiritalia etiam supernaturalia per sensibilia: ergo. Prob. Ant. Connaturale est homini, ut cognoscat etiam spiritalia supernaturalia per species haustas ex objectis sensibilibus, & per conversionem ad phantasmata, nisi cognoscat per immediatam revelationem, quæ certè non debuisset fieri singulari hujus status hominibus: nec etiam pueri nascerentur cum scientia omnium supernaturalium, sed per acquisitionem, & disciplinam, seu traditionem haberentur, ut docet D. Thom. 1. p. quæst. 101. art. 1. ergo. R. N. Ant. Ad prob. D. Cons. ergo connaturale est homini, ut etiam spiritalia supernaturalia cognoscat per sensibilia, tamquam per objecta, C. tamquam per instrumenta, quibus subiciatur, N. Explicatur: Intellectum per sensibilia cognoscere, dupliciter intelligitur. Uno modo, quantum ad acceptionem specierum ab objectis, & hæc dependentia non est imperfectio in intellectu humano; tum quia hoc ipsi ex visceribus naturæ connaturale est; tum quia id fit per vim, & perfectionem intellectus agentis: unde propriè in hoc intellectu non subordinatur objectis, sed potius sibi ea subordinat. Alio modo intellectus percipitur a sensibilibus, & per ea cognoscit, quatenus per se ea tamquam per media, & instrumenta manuductur ad res supernaturales, quarum cognitionem ex influxu superiori habere debebat, sed ex infirmitate, & retardatione partis sensitivæ impediitur hanc influxum suscipere; & ideo infirmitati ejus condescendendo, perfectionem illam, quæ sibi ex influxu superiori debebatur, accipere debet per media sensibilia. Nec enim, ut jam dixi, supernaturalia, quæ lumine fidei, vel alio infuso noscuntur, habent per se ex sensibilibus accipi, sed ex superioribus descendere: non quod species infusæ semper ad id requirant, sed quia instructio, & traditio hujusmodi cognitionis potius petit fieri per Spiritum S. ordinantem species haustas ab objectis, vel aliunde, quam ad illam per instrumenta sensibilia manuductis. Porro, licet non sit contra per-

fectionem status innocentie, quod homo dependeat ab illis rebus sensibilibus, a quibus ex natura sua dependet; est tamen contra ejus perfectionem, quod homo dependeat ab illis rebus, a quibus ex natura sua non dependet.

**Replicabis:** In illo statu homo uteretur vocibus externis, scriptura, imaginibus, & aliis signis, tamquam instrumentis ad memoriam juvandum: ergo in multis perfici debet ejus mens per sensibilia. R. 1. Quod homo in isto statu uteretur his signis ad externam communicationem, & ad intelligenda ea, quæ ipsi non debebantur secundum propriam sanctificationem ex rectitudine status, nec id repugnat; non verò ad ea intelligenda, quæ ipsi debebantur secundum interiorem, & propriam sanctificationem vi rectitudinis hujus status. R. 2. Quod uteretur illis tamquam instrumentis sibi subordinatis. Si autem fuissent Sacramenta, soli Deo subordinata fuissent ut instrumenta Dei, non hominis; qui ideo illis subieceretur.

**Obj. 2.** Varie erant utilitates, propter quas congruum erat instruire Sacramenta in hoc statu, v. gr. ad protestationem fidei, ad condonationem in una Religione, ad elegendam gratiam: ergo. R. cessante, sine primario Sacramentorum, qui est sanctificatio nostra, cessare etiam rationem ponendi Sacramenta: & si forent signa ad protestandum fidem, ad condonationem in una Religione, non forent tamen Sacramenta, quia non forent ad gratiam, seu sanctificationem nostram ordinata. Ad elegendam autem gratiam connaturalior foret modus per actus proprios; sicut enim non acquireretur per applicationem exteriorum sensibilibus, ita nec debebat per eam augeri.

**Obj. 3.** In statu innocentie fuissent Sacrificia: ergo & Sacramenta. Patet Cons. a paritate rationis: Ideo enim homo in illo statu uteretur Sacrificiis, quia homo constat anima, & corpore, & in utroque debet Deum colere: ergo pari ratione debet uti Sacramentis. R. N. Cons. & paritate. Disparitas est 1. Quia Sacrificia ex ratione dicta sunt de jure naturæ, adeoque in omni statu debent esse; Sacramenta autem non sunt de jure naturæ, sed ex congruentia, & ex beneplacito divino. 2. Quia cultus Dei externus est Deo debitus ex subiectione, quam habet homo ad Deum, non solum in spiritalibus, sed etiam in corporalibus: sanctificationem autem hominis fieri per signa sensibilia, non est quid debitum naturæ humanæ, quando talem statum habet, ut perfectissimè Deo subiciatur; quia tunc ex vi subiectionis hujus sanctitatem habere debet.

**Obj. 4.** Matrimonium est Sacramentum, juxta Apost. ad Eph. 5. atqui matrimonium fuit institutum antè peccatum, ut patet Genes. 2. ergo. R. (*Ibid.* ad 3.) Quod Matrimonium fuit institutum in statu innocentie non secundum quod est Sacramentum, sed secundum quod est in officium naturæ. Ex consequenti tamen significabat aliquid futurum circa Christum, & Ecclesiam, sicut & omnia alià, quæ in figura Christi processerunt; quæ tamen non dicuntur Sacramenta, nisi improprie, & alio sensu.

Ex dictis colliges, quod, si etiam diu durasset status innocentie, nullum fuisset in eo Sacramentum. Sed petes, an, perseverante Adamo in iustitia originali, & posteris ejus peccatibus, fuissent instituta Sacramenta? R. Quod saltem non fuissent instituta ex merito rationis, ac nostra, vi præsentis Decreti. Quia nostra vi præsentis Decreti sunt in remedium peccati, vel originalis, vel actualis, ex originali provenientis; & habent virtutem ex passione Christi, qui in hac hypothesis juxta probabiliorem sententiam non venisset. An verò fuissent instituta alterius rationis? Chim id pendat ex beneplacito divino, nec quidem quam hæc de re sit revelatum, res est dubia, & incerta.

**ARTICULUS III.**

*Utrum post peccatum ante Christum debuerint esse Sacramenta?*

**Nota 1.** Naturæ per peccatum corruptæ triplicem distinguatur statum. Primus est status Legis naturæ ab Adamo usque ad Moysen: Secundus Legis scriptæ a Moysen usque ad Christum: Tertius Legis gratiæ a Christo ad finem seculorum. Primus dicitur Legis naturæ; non quia excluderet Legem supernaturalem; in ea enim observari debebant supernaturalia præcepta fidei, spei, & charitatis: sed quod in ea nulla esset Lex mandato Dei scripta; Sed Lex naturalis sola naturæ instinctu, & Lex supernaturalis sola Dei inspiratione quasi per modum naturæ erant cognita.

**Nota 2.** Quod, licet status Legis scriptæ rigorosè tantum inceperit a Moysen, ab Abrahamo tamen coepit se insinuare, & status Legis naturæ declinare per Circumcisionem, quæ erat quædam præparatio ad Legem scriptam. Nota 3. & suppone, in utroque statu, Legis naturæ, & scriptæ, fuisse remedium, saltem pro peccato originali; eum constet ex Scriptura, Adam, & multis alios Justos ab ipso fuisse emundatos. Id etiam colligitur

tur ex voluntate Dei salvandi omnes homines. Videtur etiam eadem ratione supponendum, fuisse remedia pro peccatis actualibus, quævis fuerint. Questio est igitur, utrum pro talibus remediis in utroque statu Legis naturæ, & scriptæ instituta fuerint Sacramenta, sive ad delendum originale in parvulis, sive actuale in adultis: sub ea enim generalitate status, & peccati videtur loqui D. Thomas, ut patet ex ipsius ratione in o. quæ est indefinita, & æquè probat pro uno, ac pro alio statu, pro uno, ac pro alio peccato. Licet plures videantur aliè intelligere, diversaque difficultates in hunc Articulum accumulent.

**Dico.** (*Ibid.* art. 5. o. & in 4. d. 1. quæst. 1. art. 2. quæst. 3.) Post peccatum ante Christum, tam in lege naturæ, quam in lege scripta, tam pro peccato originali, quam pro actualibus, debuerunt esse Sacramenta. Prob. 1. ex Patribus. Aug. libr. 5. contra Jul. cap. 11. *Nec ideo, inquit, credendum est, antè datam circumcisionem, famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis: quamvis tunc illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit. Nam & sacrificia eorum legitur, quibus utique sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccata mundi.* Item Innoc. III. cap. *Majores* de B. ptismo, & ejus effectus.

**Prob. 2.** (*Ibid.* art. 3. o.) Sacramenta sunt signa sensibilia invisibilibus rerum, quibus homo sanctificatur; atqui post peccatum ante Christum, sive in lege naturæ, sive in lege scripta, fuit conveniens hujusmodi signa institui tam pro deletione peccati originalis, quam actualis: ergo. Prob. Min. Post peccatum nullus salvari potest nisi per fidem in Christum Redemptorem, juxta illud Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum... ut sit ipse iustus, & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.* Et illud Act. 4. *Nec est aliud nomen enim sub calo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri;* atqui post peccatum ante Christum conveniens fuit esse signa sensibilia, quibus homo hanc suam fidem in Redemptorem futurum protestaretur: ergo. Minor patet ex his, quæ diximus art. 1. hujus Diss. & superius, nempe, id esse conveniens homini, ratione naturæ corporeæ. 2. ratione naturæ per peccatum sensibilibus subiectæ. 3. ut per salubria signorum sensibilibus exercitia a noxiis actionibus præservaretur. 4. ratione ipsiusmodi Redemptoris humanitate sensibilibus. Propter hæc, inquam, rationes conveniens fuit, ut homini ante Christum in utroque statu, legis naturalis, & scriptæ, explicaretur gratia, & sanctificatio per signa sensibilia protestativa Redemptoris futuri, & fidei ejus, atque illis signis mediatis hinc Redemptori tamquam capiti, & salutis auctori in Ecclesia, seu Religione, quæ semper fuit visibilis, conjungeretur.

Itaque, (*Infr.* quæst. 70. art. 4. ad 2.) sicut adulti pro se pecces, & sacrificia offerbant, sic parentes fideles pro parvulis natis, & maximè in periculo existentibus, aliquas preces Deo fundebant, vel aliquam benedictionem eis adhibebant: non enim erat necesse, quod esset actus formalis fidei, sed sufficienter quilibet moralis, & pia actio a fide promanans, etiamsi non informatam charitate: quia talis protestatio fidei non conferebat gratiam ex opere, seu merito operantis, sed ex opere operato passivè, id est, ad positionem hujus signi Deus conferebat gratiam intuitu meritorum Christi futuri, ut dicemus in sol. Obj.

*Solvantur objectiones.*

**Obj. 1.** Passio Christi est causa Sacramentorum omnium: ergo ante Christum non debent esse Sacramenta. R. D. Ant. (*Hic.* art. 3. ad 1.) Passio Christi est causa Sacramentorum, efficiens, vel finalis, C. semper efficiens, N. Erat ergo causa finalis Sacramentorum, quæ ante Christum fuerant, quatenus ad ipsam significandam sunt instituta: finis autem non præcedit tempore, sed solum intentione, suum effectum. Inst. Passio Christi est causa efficiens omnium omnino Sacramentorum: ergo. Prob. Ant. Nullum est Sacramentum, quod non habeat virtutem ex ipsa, & per ipsam: ergo. R. N. Ant. ad Prob. D. Cons. ergo Passio Christi est causa efficiens Sacramentorum omnium, meritorie, & moraliter, C. physicè, N. dicitur ergo passio Christi causa Sacramentorum, quæ ante ipsam fuerunt, in quantum intuitu ipsius ut prævisæ, & quasi sub fideiusionem instituta sunt, & per illam gratia hominibus dabatur a Deo. Subsumes: atqui meritum præcedit præmium: ergo ante passionem Christi, quæ est Sacramentorum causa meritoria, nulla fuerunt Sacramenta. R. D. Subsumptum: meritum pro modum solius dispositionis ad præmium, ut sunt actus nostri respectu beatitudinis, præcedit præmium, C. meritum, quod est similis finis præmii, ut erat passio Christi respectu Sacramentorum veteris Legis, N. sufficit, quod præce-

dat in intentione, & quod intuitu ipsius sub spe, & fideiusionem confertur præmium.

**Obj. 2.** De ratione Sacramenti est, quod conferat gratiam ex opere operato, hoc est, ultra meritum suscipientis; alius foret inutile ad ejus salutem; atqui ante Christum nullum poterat conferre gratiam ex opere operato, quia hoc est proprium Sacramentis novæ Legis: ergo. R. D. Ant. De ratione Sacramenti est, quod conferat gratiam ex opere operato passivè, vel activè, C. Ant. semper activè, N. Ant. & Cons. Conferri gratiam ex opere operato passivè, est eam dari suscipienti Sacramentum, solo Deo activè eam conferente ad Sacramenti præsentiam, ipso tamèn Sacramento activè non concurrente. Dari autem gratiam activè ex opere operato, est ipsa Sacramenta activè concurrere ad ejus collationem. Primo modo Sacramenta ante Christum gratiam conferebant; secundo modo nostra. Inst. Conferri gratiam ex opere operato est eam conferri ex meritis passionis Christi jam operatæ, & positæ; atqui: ergo. R. non hoc solo sensu dici, gratiam conferri ex opere operato, quia confertur ex meritis passionis Christi jam operatæ; sed maximè hoc sensu, quod conferatur vi operis ut a Deo instituti, ultra meritum operantis, ut amplius dicemus infrà: & hoc ultimo sensu Sacramenta veteris Legis causabant gratiam.

**Obj. 3.** Cum Sacramenta sint supernaturalia, & ex mero divine voluntatis beneplacito, nihil de ipsis est asserendum, nisi quod in Scriptura revelatum est; atqui nullibi in Scriptura revelatur, fuisse Sacramenta in lege naturæ, nec etiam in lege scripta, saltem pro peccatis actualibus, sed solum Circumcisionem pro originali: ergo. R. quod, tacente Scriptura, sufficiat nobis traditio per SS. Patres, Aug. Thom. & alios. Insuper rationes D. Thom. magnam hujus sententiæ probabilitatem faciunt; imò vi præsentis decreti, & supposita Sacramentorum novæ Legis institutione, penè evincunt. Et namquid mirum non foret, quod in nova Lege, ubi abundantior est gratia, & expressior Christi cognitio, homo pro peccatis originali, & actuali sensibilibus subieceretur, & ab illis dependeret; in statu naturæ legis timoris, in quo & rarior gratia, & obscurior Christi notio, homines ab hoc onere liberi fuissent? Tandem nec de illis ita silet Scriptura, quin aliquod eorum vestigium in ipsa reperiamus. Etenim Job, cap. ult. invenitur sacrificia pro remissione peccatorum amicum Job: in Melchisedech invenitur panis, & vini oblatio: deinde in omni populo essus Agni Paschalis, quæ secundum D. Thom. hic art. 3. erant vera Sacramenta.

**Inst.** Secundum SS. Patres in illo statu scilicet naturæ, sola fides interior parentum sine ullo signo exteriori sufficiebat ad salutem parvulorum. Ita D. Greg. 4. Moral. cap. 2. D. Bern. Ep. 77. D. Th. expressè in 4. d. 1. quæst. 2. art. 6. quæst. 2. ergo. R. ad SS. Greg. & Bernard. ipsos non dicere solam fidem interiorem, sed solam fidem; protestatio autem exterior fidei est etiam actus fidei, ut omnes fatentur cum D. Thom. 2. 2. quæst. 2. & 3. Unde per ly *solum* non excluduntur fidei protestationem exteriorem, sed tantum Sacrificia, quæ non erant necessaria pro parvulis, sicut erant pro adultis: id patet ex eorum verbis. Ad D. Thom. dicendum, quod, si forit inclinaverit in hanc sententiam loco citato, eam certo retractaverit in posterioribus operibus, ut patet primò ex præsentis Art. in o. & ad 2. ubi expressè ait, quò in utraque lege ante Christum necessario fuerint Sacramenta; & quòd Sacramenta, quæ erant in Lege scripta, comparabantur ad ea, quæ fuerant ante Legem, sicut determinatum ad indeterminatum. Item in Resp. ad 3. admittit, Sacrificium Melchisedech, in lege naturæ, Agni Paschalis in Lege scripta, & alia hujusmodi fuisse vera Sacramenta. 2. Aperta est mens D. Thom. pro nostra sententia infr. quæst. 70. art. 4. ad 2. item quæst. 4. de malo art. 8. ad 12.

Verùm nec est, quòd confugiamus ad retractionem D. Thom. ut ipsum explicemus. Cum enim loco cit. in obj. dicit, quòd sufficiebat fides sine omni exteriori signo, intelligit de signo specialitè, & in particulari a Deo determinato, ut erat in Lege scripta; non autem de alio signo per inspirationem Dei internam, vel per instinctum determinando: Ità seipsum explicat loco cit. 3. partis quæst. 70. art. 4. ad 2. Postquam enim admittit, ante circumcissionem non requiri aliquod signum fidei protestativum, utpote determinatum a Deo in particulari; *Quis,* inquit, *nonnam homines fideles seorsim ab infidelibus ceperant adunari ad cultum unius Dei,* subdit. *Probabile tamèn est, quòd parentes fideles pro parvulis natis, & maximè in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quòd erat quòdam signaculum fidei; sicut adulti pro seipsis preces, & sacrificia offerbant.* Ino in eodem objecto Commentario in 4. eadem Dist. quæst. præc. quæst. 3. expressè ait: *Ante Legem scriptam erant quedam Sacramenta necessitatis, sicut illud fidei Sacramentum, quòd ordinabatur ad deletionem peccati originalis, & similiter parententia, quæ ordinabatur ad deletionem peccati actualis:* Quo nihil expressius. Unde constat, S. Doct. intelligendum esse sensu exposito: nisi

si velit, ipsum aptam contradictionem docuisse in duabus sibi immediate succedentibus questionibus.

Repones: Gubernari per instinctum interiorum perfectius est, quam per signa sensibilia; atqui tamen status legis nature erat imperfectior, quam status legis gratie: ergo. R. D. Maj. perfectius est gubernari instinctu interiori ad intelligenda mysteria gratie, C. ad instituenda signa, quibus ea mysteria intelligantur, N. perfectius enim est ea a Deo institui immedia-

Petes, quot, & quae fuerint Sacramenta ante Christum? Quantum ad legem naturae, R. id esse incertum, tacente Scriptura, & silentibus Patribus. S. Thomas tamen hic ad 3. agnoscit, sacrificium Melchisedech fuisse Sacramentum: itam alibi sacrificia amicorum Job; & infra q. 66. art. 1. ad 7. dicit, quod oblationes, & decimae tam in lege natura, quam in lege Moysis ordinatae fuerint in figuram, & idem erant Sacramenta.

Ultra progredi fas nobis non est, sed sufficere debet non defuisse tunc Sacramenta in remedium peccati, sive originalis, sive actualis; quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa, Scriptura sacra tacere voluerit, inquit Aug. Quantum ad Legem scriptam, R. plura fuisse in ea Sacramenta, quam in Lege Evangelica, ut tradit Aug. 19. contra Faustum, c. 13. his verbis: Sacramenta veteris Legis ablata sunt, quia impleta, & alia sunt instituta, virtute majora, utilitate meliora, actu facilliora, numero pauciora. Id etiam patet; quia variae purificationes, variae exhortationes a peccatis in ea erant varia Sacramenta; quae tamen uni Sacramento Penitentiae in lege Evangelica correspondebant: item multa inter se differentia unicum Euchariae representabant. Variis hujus rei congruentia afferruntur a Theologis, de quibus Gonet D. 2. n. 100. Hanc inter alios addert ex Hugone Victoriano, quod Sacramenta Legis scriptae erant umbrata, & Sacramenta Legis gratiae veritatis corpora. Plures autem sunt umbrata, quam corpora.

Ea autem omnia Legis scriptae Sacramenta, (t. 2. q. 102. art. 5.) cum essent caeremoniae, quibus homines quodammodo deputabantur ad cultum divinum, reduci possunt ad tria genera. Primum est, quo homines constituuntur, & deputantur in statu colendi Deum; & sub illo continebatur Circumcisio pro toto populo, & consecratio Sacerdotum pro Ministris. Secundum, quod consistebat in usu rerum, quae ad Dei cultum pertinebant, & sub illo continebantur esus Agni Paschalis pro toto populo, & esus panum propositionis pro Ministris. Tertium, per quod removebantur impedimenta cultus divini per ipsos exercendi; & sub eo continebantur expiationes pro peccatis pro toto populo, & pro solis Ministris ablutio manuum, & pedum, rasio capillorum, &c.

DISSERTATIO III.

DE PRINCIPALI EFFECTU SACRAMENTORUM, QUI EST GRATIA.

Div. Thom. Quaest. 62.

ARTICULUS I.

Utrum Sacramenta novae Legis gratiam causent ex opere operato?

Concertatio hic nobis est cum Haereticis recentioribus. 1. Cum Socinianis, & Anabaptistis, qui nullam in Sacramentis virtutem, seu efficaciam agnoscunt, sed ea habent pro nudis, & sterilibus signis externae professionis Fidei Christianae, & distinctionis Fidei ab Infidelibus. 2. Cum Lutheranis, & Calvinistis, qui, quamvis Socinianos impugnent, & verbis magnificis videantur quandoque extollere virtutem, & efficaciam Sacramentorum, ita ut crederes ipsos hac in parte catholicos sentire; nihilominus nullam in eis vim aliam agnoscunt, quam excitandi obiectivam fidem, qua sola volunt nos justificari. Quamvis enim adharent suo capitali dogmati, nos scilicet non justificari per gratiam, seu justitiam internam, sed per imputationem externam justitiae Christi, & eam nobis imputari per solam fidem, seu fiduciam, quia firmiter credimus nos esse justos, de quo in Tract. de Gratia; fitentur necesse est nostra Sacramenta ad nihil aliud valere, quam ut excitent in nobis hanc fidem justificativam. Imo, dum ad Sacramentum fidem praeviam requirunt, supponere debent nos esse justificatos ante Sacramenti susceptionem, sicque Sacramenta non esse nisi signa sterilia justificationis acceptae.

Observandum 1. causam ut sic dividi in causam per accidens, & causam per se. Causa per accidens est conditio, sine

Hae porro (Ib.) erant typi, & figurae Sacramentorum novae Legis. Sic circumcisio erat figura Baptismi, esus Agni Paschalis, & esus panum propositionis erant figura Euchariae, expiationes a peccatis, & aliae caeremoniae ad id ordinatae erant figura Penitentiae, consecratio Sacerdotum erat figura Ordinis. Sacramentis autem Confirmationis, (Ib.) Extremarum Unionis, & Matrimonii nullum tunc Sacramentum correspondebat; quia Confirmatio est Sacramentum plenitudinis gratiae, quae nondum advenerat in Lege scripta. Extrema Unctio est immediata praeparatio ad introitum gloriae, cuius aditus nondum tunc patebat. Matrimonium tandem est sigillum conjunctionis Christi cum Ecclesia, quae nondum tunc erat, adeoque erat tantum in officium naturae, & non ut Sacramentum. Unde dabatur Libellus Repudii, quod est contra rationem Sacramenti. Circumcisionem fuisse verum Sacramentum, institutum in remedium peccati originalis, & causasse moraliter gratiam, dicimus infra in Tract. de Baptismo contra quosdam Theologos, oppositum sentientes.

ARTICULUS IV.

Utrum post Christum debuerint esse Sacramenta?

Deco (Ib. art. 4.) Post Christum debuerint esse Sacramenta a veteribus distincta. Prob. (Ibid.) utraque pars ex auctoritate Aug. 1. 19. contra Faust. cit. in Resp. 2. ad petitionem praec.

Prob. 1. pars. (Ib.) Sicut antiqui Patres salvati sunt per fidem Christi venturi, ita & nos salvamur per fidem Christi jam nati, & passi; atqui antiqui Patres debuerunt per signa sensibilia protestari suam fidem de Christo venturo ut salvarentur, sicut diximus art. 3. ergo & nos debemus nostram fidem similiter protestari de Christo nato, & passo, ut salvemur. Subsumo; atqui Sacramenta sunt quaedam signa protestantia fidem, qua homo iustificatur: ergo post Christum debuerant esse Sacramenta.

Prob. 2. pars. (Ib.) Oportet, aliis signis significari futura, praeterita, & praesentia: ut enim Aug. dicit 19. contra Faustum c. 16. eadem res aliter annuntiat facienda, aliter facta, sicut ipsa verba passurus, & passus non similiter sonant: ergo oportet quaedam alia Sacramenta esse in nova Lege, quibus significetur ea, quae praecesserunt in Christo, praeter Sacramenta veteris Legis, quibus praerantur futura. De numero, & ordine Sacramentorum novae Legis dicemus cum Auctore in ultima Diss. praesentis Tractatus.

qua effectus non poneretur, in eum tamen non influit; sic est v. gr. approximatio ignis ad lignum comburendum, vel siccatas ligni. Causa per se est, quae aliquo modo influit in effectum. Et est duplex, physica, & moralis. Iterum utraque duplex, principalis, & instrumentalis. Causa principalis physica est, quae virtute propria per realem influxum effectum producit; instrumentalis physica est, quae virtute a causa principe sibi transeuntiter communicata effectum producit; instrumentalis moralis est, quae merito proprio movet, & allicit causam efficientem physicam, ut det esse rei; ita ut juxta hominum existimationem ipsi attribuat, quod causa efficiens ponat effectum. Instrumentalis moralis est, quae id praestat virtute sibi a causa principali morali communicata; v. gr. Filius Regis de patre bene meritis est causa principalis moralis, cui Rex concedat veniam reo; Legatus autem, sive epistola, quam ad patrem dirigit, ut suo nomine hanc a Patre gratiam impetret, est causa moralis instrumentalis. Non est hic quae questio de causa principali physica, aut morali gratiae: certum quippe est, quod solus Deus sit causa principalis illius physica, ut diximus in Tract. de Gratia, & humanitas Christi causa principalis moralis, ut diximus in Tract. de Incarnat.

Observandum 2. duplicem distingui modum procedendi gratiam, scilicet, ex opere operantis, & ex opere operato. Gratiam produci ex opere operantis est illam conferri a Deo intuitu operis quatenus ab operante laudabiliter, & merito procedit, sive intuitu fidei, pietatis, & meriti operantis. Gratiam produci ex ope-

opere operato, est eam a Deo conferri intuitu operis, non ut procedat laudabiliter ab operante, sed ut est a Christo institutum; seu est eam produci vi, & efficaciam operis exteriori per virtutem sibi supernaturaliter communicatam ultra meritum ministrantis, & recipientis; non tamen sine dispositionibus ex parte subjecti recipientis requisitis; non quae habeant vim effectivam effectus, aut operi externo, seu Sacramento vim conferant, sed quae se habeant per modum removentis obicem gratiae, & conditionis, sine qua Sacramentum effectum suum non produceret. Et quia haec dispositio in suscipiente non debet necessario esse ultima, sed sufficit, quod tollatur obex, hoc semel posito Sacramentum vi operis applicati confert gratiam, ut dum ex attrito facit contritum. Quod si contingat, dispositionem esse ultimam, ultra gradum gratiae huius dispositioni correspondente, confertur alter gradus correspondens operi externe applicato, seu Sacramento.

Hinc colliges, quam falso, quam calumniosè Haeretici effutiant, nos nullam dispositionem requirere in suscipiente Sacramentum, ut per illud iustificetur. Quam calumniam merito recondit Conc. Trid. sess. 14. de Penit. cap. 4. his verbis: Falso quidem calumniaunt Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Penitentiae absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit. Non minus insulsum est quod dicunt nos per istas particulas ex opere operato intelligere Sacramenta conferre gratiam virtute sua naturali, & tanquam causas primarias, & principales. Haec sunt putida mendacia, & larvæ, quas liberaliter fingunt, ut habeant, quod oppugnent, & nobis exprobrant. Quis enim Catholicorum somniavit unquam, aequè ex natura sua vim inesse sanctificandi animam; aut eam, & non Deum esse causam principalem gratiae; Probat hic S. Th. (Hic q. 62. art. 1. o.) & cum eo omnes Catholici, Sacramenta non esse causam principalem gratiae, quia non agunt ex virtute suae formae, nec assimilant sibi effectum, quod est proprium causae principalis. His igitur calumniis depulsi.

Deco: Sacramenta novae Legis gratiam conferunt ex opere operato non potentibus obicem. Prob. Gratiam conferri per Sacramenta ex opere operato nihil est aliud, ut patet ex dictis, quam eam conferri vi, & ratione operis sacramentalis positi, & applicati, ut est a Deo institutum; & non vi, & ratione fidei, seu meriti, sive ministrantis, sive suscipientis, licet requiratur in suscipiente dispositio removentis prohibens; atqui huiusmodi causalitatem Sacramentis novae Legis tribuunt Scriptura, Concilia, Patres, ratio Theologica, & si denegatur, sequantur inconvenientia: ergo. Prob. Minor per singulas partes.

Ex Scriptura.

DE Baptismo Joann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in Regnum Dei. Ephes. 5. Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae. Tit. 3. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti.

Respondet Calvinus; haec testimonia, maxime primum, quod est expressius, non esse intelligenda de vero Baptismo aquae, sed figurate de renovatione interiori per Spiritum S. ita ut per aquam significetur ipse Spiritus S. qui nos spiritualiter purgat, & mundat instar aquae, seu sicut aqua mundat corpus: sicut in his verbis Matth. 3. Ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igne, significatur per ignem metaphorice Spiritus S. Sed contra: Huiusmodi interpretationi oppono 1. constantem traditionem Ecclesiae, quae ab exordio hunc textum Joann. 3. semper intellexit de Baptismo aquae, & ex eo eius necessitatem collegit. 2. Si isto textu debet intelligi metaphorice, non de Baptismo aquae, sed tantum de Spiritu S. eodem modo poterunt intelligi omnes alii Scripturae textus, ubi fit sermo de Baptismo, & sic Baptismus aquae non poterit probari ex Scriptura, quod non admittit Calvinus. 3. Non juvat Calvinum comparatio cum texto Matth. 3. Tum quia Ecclesia semper baptizavit in aqua, nunquam in igne, quae praxis est optima interpretatio verborum Scripturae; & probat, priora esse intelligenda literaliter, posteriora metaphorice. Tum quia in posteriori textu to igne sequitur to Spiritu S. sicque est huius explicatio, sumiturque, vel pro ipso Spiritu S. vel igne charitatis: at in priori textu to aqua praecedit to Spiritu S. & sic non potest esse ejus explicatio. Tum tandem, quia Scriptura debet intelligi literaliter, ubi nullum est inconveniens; nullum est autem, si Baptismus conferatur in aqua, secus quod conferatur in igne. Adde, quod to igne in secundo textu possit intelligi literaliter de igne, qui supra Apostolos apparuit die Pentecostes. Ita Damascenus l. 4. Fidei c. 10., vel de igne Purgatorii, ut intelligunt Orig. Tract. 9. in Matth. & Hom. 24. in Luc. Hilarius, & Hieron. in Commentariis ad hunc locum. Confer. Diss. 1. de Bapt. Art. 3. Obj. 1.

De Confirmatione; Act. 8. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum S. De Eucharia Joann. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam. Caro mea verò est cibus, & sanguis meus verò est potus. De Penitentia, Joann. 20. Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. De Extrema-Unionione, Jacobi 5. Inducat Presbiteros Ecclesiae, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei. De Ordine, 1. Timot. 4. Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii. De Matrimonio, licet non habeatur expressè in Scriptura, constat ex perpetua Ecclesiae traditione illud numerari inter Sacramenta, sicque eisdem esse rationem de illo, ac de aliis. Insuper gratiam ejus commendavit Christus, dum praesentia sua nuptias in Cana Galilee cohonestavit, ac sanctificavit, sicut gratia Baptismi commendavit, cum aquas Jordanis sanctificavit, ut dicunt SS. Patres, Cyrillus, Maximus, &c. In his igitur omnibus sacrae Scripturae textibus habemus quod gratia, Spiritus S. remissio peccatorum, vita aeterna tribuantur non fidei, seu merito ministrantium, seu suscipientium Sacramenta, sed ipsi operi externo, seu Sacramento externe peracto. De his iterum fusius, dum de quolibet Sacramento in particulari.

Ex Conciliis.

Concilium Constantinop. I. in symbolo Fidei, quod canit Ecclesia: Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum. Conc. Milevit. Can. 2. Parvuli, qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere non potuerunt, idè veraciter in peccatorum remissionem baptizantur, ut in iis regeneratione mundentur, quod generatione contraxerunt. Concil. Atrax. II. Can. 25. dicit, secundum fidem Chatholicam gratiam per Baptismum accipi. Concil. Florent. in Decreto Eugenii. Nova Legis 7. sunt Sacramenta... quae multum a Sacramentis differunt antiquae Legis. Illa enim non causant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: haec verò nostra, & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt. Conc. Trid. sess. 13. Can. 6. Siquis dixerit, Sacramenta novae Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non posse obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae, & iustitiae, & novae quaedam Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur Fideles ab Infidelibus, anathema sit. Et can. 8. conceptis terminis: Si quis dixerit, per ipsa novae Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solum fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.

Ex Patribus.

Iustinus in Apolog. dicit, nos per Baptismum renasci in aqua eo modo, quo genitales statu progenerati sumus. Tertoll. de Baptismo cap. 4. Supervenit statim Spiritus de caelis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso: & ita sanctificata vim sanctificandi combibunt. Et de Resurr. carnis c. 8. Caro abluatur, ut anima emaculetur: Caro ungitur, & anima consecratur: Caro arguitur, ut anima muniat: Caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur: Caro corpore, & sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur. Greg. Nyss. Orat. in Baptism. Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum; renovationis, & regenerationis causa. Chrysostomus Hom. 25. in Joana. Quod est matrix embryoni, hoc est fidei aqua; sicut in aqua fingitur, & formatur. Ambros. l. 1. de Sacram. c. 4. Qui per hunc fontem transit, non moritur, sed resurgit. Aug. l. 4. contra Cresconium c. 16. dicit: Non eorum meritis, a quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, constare Baptismum, sed propria sanctitate, atque veritate propter eum, a quo institutus est. Item idem Aug. vim, & efficaciam Sacramentorum stupendam, & inexplicabilem agnoscit. Tract. 80. in Joann. exclamat: Undè tanta virtus aquae, ut corpus tangat, & cor abluat? Etl. 19. contra Faustum c. 11. Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum... sine qua non potest perfici pietas. Similiter Nyssenens Orat. cit. de Baptismo: Ostende mihi modum nationis, quae fit secundum carnem, & ego tibi vim regenerationis, quae secundum animam fit, exponam. Ubique divina vis, & efficaciam incomprehensibilis est, nulla, vel ratione, vel arte explorari potest. Nulla profectò foret ratio mirandi vim Sacramentorum, nec difficultis foret ejus explicatio, si fidem dumtaxat obiectivè excitarent, & gratiam ex suscipis, seu ex opere operato non efficerent. Plures alios SS. Patres, ne longior sim, omitto. Illos ordine recenset Bellarm. l. 2. c. 6. & 7.

Ex Ratione Theologica.

Petit ex Baptismo parvullorum, Baptismus infanti collatus est validus, & confert illi gratiam regenerantem; non ex fide, aut merito ministrantis: collatus enim a malo Ministro, In-